



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

VI. Quod omni tempore hi qui neceßitate mortis vrgentur, id est, aegritudinis, obsidionis, persecutionis, naufragij, debeant baptizari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

tatis. Et iterum: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret uniuersa quaecumque dixi vobis.* Et iterum: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem.* Cum itaque veritas Christus sit, & spiritus veritatis, Spiritus sanctus, nomenque Paracleti vtrique sit proprium; non dissimile est festum, vbi vnum est sacramentum.

## IV.

Hoc autem nos, non ex nostra persuasione defendere, sed ex apostolica auctoritate seruare, satis idoneo probamus exemplo, sequentes B. apostolum Petrum, qui in eo die, quo omnem credentium numerum promissus Spiritus sancti repleuit aduentus, trium millium populum, sua prædicatione conuersum, lauacro baptismatis consecrauit. Quod sancta scriptura, quæ apostolorum actus continet, fideli historia docet, dicens: *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remedium peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim repromissio est, & filiis vestris, & omnibus qui longe sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster. Aliis etiam pluribus verbis testificatus, exhortabatur eos, dicens: Saluamini a generatione ista praua.* Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia.

## V.

Vnde quia manifestissime patet baptizandis in ecclesia electis, hæc duo tempora (de quibus locuti sumus) esse legitima, dilectionem vestram monemus, vt nullos alios dies huic obseruantia miscatis.

## VI.

Quia etsi sunt alia quoque festa quibus multa in honorem Dei reuerentia debeat, principalis tamen, & maximi sacramenti custodienda nobis est mysticæ rationis exceptio, non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subuenitur. Ita enim ad has duas festiuitates connexas, atque sibimet cognatas, incolumium, & in pacis securitate degentium, libera vota differimus, vt in mortis periculo, in obsidionis disci-

*Ibidem.*  
*Ioan. 16.*  
De consecr.  
distinct. 4.  
Proprio in  
morte.

*Act. 1.*

De consecr.  
distinct. 4.  
Duo tem-  
pora.

læ ge-  
tur in  
nbris,  
quæ  
plo  
: capi-  
esta  
grue-  
s

De consecr.  
distinct. 4.  
Si qui ne-  
cessitatem.  
Ibid. Si  
quis autem  
episcopus.  
Et in Decr.  
Iuo. lib. 1.

Ioan. 1.

Galat. 4.

Matth. 5.

Rom. 10.

Ioan. 19.

Ioan. 1.

In Decret.  
Iuo. lib. 1.  
De consecr.  
distinct. 4.  
Duo tem-  
pora.

mine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore, hoc vere salutis singulare remedium cuiquam denegemus. Si quis autem Epiphaniæ festiuitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum sancti Ioannis accesserit, sciat, illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quærens remedium renascendi, sic voluit baptizari, quomodo voluit circumcidi, hostiamq; pro se emundationis offerri, vt qui factus erat ex muliere (sicut Apostolus ait) fieret & sub lege, quam non venerat soluere, sed adimplere, & implendo finire, sicut beatus Apostolus prædicat, dicens: *Finis autem legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens se docuit esse principium. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis & aqua baptismatis. Sicut ergo vetus testamentum testificatio fuit noui, & lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est: sic diuersa sacrificia vnam hostiã præformauerunt, & multorum agnorum occisio illius immolatione finita est, de quo dicitur: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sic & Ioannes, non Christus, sed Christi præuius, non sponsus, sed sponsi amicus fuit adeo fidelis, & non sua quærens, sed quæ Iesu Christi, vt se profiteretur ad soluenda calceamenta pedum eius indignum, quoniam ipse quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizaturus esset in Spiritu sancto & igni, qui duplici potestate & vitam redderet, & peccata consumeret. His itaque, fratres, tot tantisque existentibus documentis, quibus, omni ambiguitate submota, euidenter agnoscitis, in baptizandis electis, qui secundum apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & ieiuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id est Pascha & Pentecosten esse seruand.

seruanda, hoc vestrae indicimus caritati, vt ab apostolicis institutis nullo vltius recedatis excessu. Quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

## VII.

Quare illud primitus pro custodia concordissimæ unitatis exigimus, vt quia saluberrime a sanctis patribus constitutum est binos in annis singulis episcoporum debere esse Conuentus, terni semper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam, fraterno Concilio sociandi, occurrant, & indissimulanter a vobis hæc consuetudo seruetur. Quoniam, adiuuante gratia Dei, facilius poterit prouideri, vt in ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores: cum coram beatissimo apostolo Petro semper in communionem tractatum fuerit, vt omnia instituta Canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inuiolata permaneant. Hæc autem quæ vobis, inspirante Domino, insinuanda credidimus, per fratres & coepiscopos nostros \* Bachillum atque Paschasium, ad vestram volumus notitiam peruenire. Quibus referentibus cognoscamus, quam reuerenter a vobis apostolicæ sedis instituta seruentur. Data duodecimo Kalendarum Nouembris Alypio & Ardabure viris clarissimis consulibus.

Nicæn.  
Concil.  
Can. 5.

\* Vacillum

## EPISTOLA V.

## LEONIS PAPÆ I.

AD DORVM BENEVENTANVM EPISCOPVM.

Episcopum Beneuentanum reprehendit, quod posthabitis senioribus iuniores ad presbyteratum assumpserit.

*Dilectissimo fratri Doro, Leo episcopus.*

**I**UDICIUM, quod de te sperabamus, dolemus esse frustratum, quando ea te commisisse perspiciamus, quæ omnem ecclesiasticæ sanctionis regulam culpabili nouitate scelerarent: cum plenissime noueris, quanta solitudine per omnes Domini ecclesias paternorum velimus Canonum præcepta seruari, & hanc maxime curam ad

Anno Christi 450. qui fuit annus pontificatus S. Leonis 9.

*Concil. Tom. 7.*

I